

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Elemosina at  
cum fontibus proximo et primo

Unde Basilius dicit:

*Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse  
(scilicet temporalia bona),  
an iniustus est Deus inegaliter res nobis distribuens?  
Cur tu abundas, ille vero mendicat,  
nisi ut tu bone compensationis merita consequaris,  
ille uero pacientiae braviis decoretur?*

Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse,  
scilicet temporalia bona,  
an iniustus est Deus inegaliter res nobis distribuens,  
cur tu abundas et ille mendicat,  
nisi ut tu bone compensationis merita consequaris,  
ille uero pacientiae braviis decoretur?

Panis est famelici quem tu tenes,  
nudi tunica quam in conclaui conseruas,  
discalciati calceus qui penes te marcescit,  
indigentis argentum quod possides.  
Quocirca tot iniuriaris quot subuenire ualeris.

*Est panis famelici quem tu tenes,  
nudi tunica quam in conclaui conservas,  
discalceati calceus qui penes te marcescit,  
indigentis argentum quod possides inhumatum.  
Quocirca tot iniuriaris quot dare ualeres.*

Thomas de Aquino, *Summa theologiae*, Secunda secundae, 32.5 (P. Caramello ed., p.174).

Basilius omelia I.

Num injustus Deus, qui nobis inequaliter vitae necessaria distribuit?  
Cur, divite te, ille pauper est? An non utique,  
ut et tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem accipias,  
et ille magnis patientiae praemiis donetur?

Tu vero inexplilibus avaritiae sinibus omnia complexus,  
atque his tam multos privans,  
nemini ullam injuriam facere te existimas? Quis avarus est?  
Quis rebus quae satis sunt, contentus non est. Quis spoliator?  
Qui cujusque res aufert. Non avarus est tu? non spoliator es tu?  
Qui scilicet quae dispensanda recepisti, ea tibimet ipsi propria facias.

Furne vocabitur qui veste indutum denudarit,  
qui vero nudum non induerit, id si agere potest,  
alia quadam appellatione dignus est?

Esurientis est panis, quem tu detines:  
nudi est pallium, quod tu in arca servas:  
discalceati calceus, qui apud te putrescit:  
indigentis argentum, quod defossum habes.  
Quare quot hominibus dare potes, tot infers injuriam.

Basilius Magnus, *Homilia in illud dictum evangelii secundum Lucam*:  
«*Destruam horrea mea*», 7 (PG 31, col.275C, 277A).